



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 1. Insularum fortunatarum descriptio, & situs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

III
M. ANTONII MURETI

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM,

S. R. E. CARDINALEM

ILLVSTRISSIMVM,

VARIARVM LECTIONVM

LIBER QVINTVS.

Insularum fortunatarum descriptio, & situs.

CAPVT I.

RODITVM est à veteribus poëtis, esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi qui sanctè religioseq. vixerint. ibi eos inter se iucundissimè ac suauissimè viuere, in amœnissimo quodam prato, quod gemmea florum oculis naribusque gratissimorum varietate perpetuò distinctum picturatumque sit. nunquam non illic nitere cælum, frondere arbores, pubescere herbas, ridere omnia: spirare assiduè mollissimos Fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidissimo murmure auribus blandiantur. eò accedere innumerabilem vini ac copiam immortalium auicularum, quæ vsque & vsque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium sensus incredibili voluptate permulceant. pratum ipsum perennibus riuulis variè intersecari, quorum aquula nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta & allisa susurrum efficiat dulcissimum. ita, quæ flosculorum aromaticos odores exhalantium suauitate, quæ Zephyrorum viridantibus arborum

Mureti
lectio
LII
25

arborum ramis illudentium sibilo, quâ volucrum concentibus, quâ blando murmurantium riuulorum strepitu beatas illas mentes continenter hilarari. ergo alii ad Orphei, Amphionisve lyram choreas agere, alii psallere, alios corollas texere, alios in herba fusos, quos tellus tremulis lauroꝝum ac myrtorum opacatur vrbibus, iucundissimos sermones conferere: huiusmodi ipsam opum suarum prodigam, sine vlllo cultu, quotquot annis, vbertate summa, alimentorum copiam eis suggerere ac subministrare. Hæc aliaq. similia de insulis illis poëtæ, vt dixi, fabulantur. sed de earum situ non idem ab omnibus traditur. nam ceteri plerique omnes, Homerum secuti, eas in Hispaniis insulis collocant: non desunt tamen qui India vicinis esse dicant. in primis autem mihi visum est admirabile & absurdum, quod apud Græcum quendam Græmaticum repperi, eas in Britannia esse. talem enim quandam fabulam narrat. esse in littore eius maris quod insulam Britanniam alluat, homines quosdam piscibus capiendis victitantes: qui Francis quidem pereant, neque tamen sint vectigales. Ij non nunquam in ædibus suis dormientes, audiunt vocem, qua incitantur; sentiuntque, pro foribus adesse multitudinem quandam hominum summa cum hilaritate plaudentium. expergefacti autem, & domo exeuntes, proximum quidem conspiciunt: naues tantum quasi reperiri, non suas, quas, ex ipso strepitu, vectores plenas esse intelligunt. subeunt igitur illas, & ex consuetudine, remigant Britanniam versus. & quod alii qui ne velis quidem passis, secundo vento, suis nauibus peruenire breuiore quàm quatuor & viginti horarum spatio solent: eò tum vnica, eaque non longa navigatione deferuntur. ibi incognitos illos vectores ponunt.

ponunt. cumque neminem omnino videant, sentiunt tamen ingentem concursum fieri ad litus, hominum congratulantium iis qui recentes venerunt, eosque maxima cum lætitia excipientium. audiunt etiam eos inter se humanissimè consalutantes: cum alius alium proprio nomine, alius à tribu, alius ab artificio, alius etiam gentis ac cognationis nomine appellet. tum iisdem illis nauibus conscensis, qua celeritate venerant, eadem reuehuntur domum. Quinetiam à quodam historix scriptore proditum est, C. Iulium Cæsarem eò aliquando vna triemi cum centum hominibus delatum: cumque incredibili loci amœnitate captus, sedes ibi capere vellet, ab illis ἀειδᾶσι incolis inuitum & reluctantem eiectum esse.

Tibulli versus illustratus. CAP. II.

SUPERIORE anno edidi Scholia quædam in Tibullum; & quantum licuit per angustias temporis, perque occupationes quibus distinebar, operam dedi, vt mea industria poeta ille & emendatius legi, & minore negotio intelligi posset. multos enim locos deprauatos restitui, obscuros declaravi, non nullos etiam, qui integri putabantur, mancos ac mutilos esse indicavi: ne quem obducta fortè cicatrix falleret. sed, inter cetera, cum versus illi è libro secundo ita legerentur,

Ludite. iam Nox iungit equos: currumq; sequuntur

Martis lasciuo sidera fulua choro:

admonui, non *Martis*, sed *Matris*, legendum esse. ipsam enim Noctem, matrem siderum dici. Hoc nullo tum testimonio confirmandum ratus sum: quòd neminem putabam ita stolidum fore, qui non statim illius emendationis bonitatem ac veritatem perspiceret. Nunc, cum videam, reperiri quosdam vsque eò

H αἰμίους,

Mareti
lectiones
LIB
25